

---

---

# HUGONIS DE S. VICTORE

CANONICI REGULARIS S. VICTORIS PARIENSIS

## OPERUM PARS PRIMA. — EXEGETICA

---

### I.

## IN SCRIPTURAM SACRAM

---

## DE SCRIPTURIS ET SCRIPTORIBUS SACRIS

### PRÆNOTATIUNCULÆ

QUARUM HÆC SUNT CAPITULA.

- CAP. I. — *Quæ Scripturæ divinitatis nomine singulariter appellari debeant.*  
CAP. II. — *Quod divina Scriptura ab aliis distinguitur in materia et modo tractandi.*  
CAP. III. — *De triplici intelligentia sacræ Scripturæ.*  
CAP. IV. — *Non omnia in divino eloquio comperta, sed quædam duntaxat ad hanc triplicem interpretationem esse adigenda.*  
CAP. V. — *Quod sit necessaria interpretatio litteralis et historica.*  
CAP. VI. — *De ordine, numero et auctoritate librorum sacræ Scripturæ.*  
CAP. VII. — *De sacrorum librorum scriptoribus.*  
CAP. VIII. — *De bibliothecæ Veteris Testamenti reparatione.*  
CAP. IX. — *De diversis Scripturæ sacræ translationibus.*  
CAP. X. — *De scriptoribus Novi Testamenti.*  
CAP. XI. — *De Scripturis apocryphis.*  
CAP. XII. — *De Bibliothecæ interpretatione et variis librorum nominibus.*  
CAP. XIII. — *De fructu divinæ lectionis.*  
CAP. XIV. — *Quem fructum sacra Scriptura ex aliis capiat; et quid aliis præstet; et de sex circumstantiis quibus res significatæ discernuntur mystice; et primum de tribus quæ sunt res, persona, numeri.*  
CAP. XV. — *De numeris sacræ Scripturæ novem modis significantibus.*  
CAP. XVI. — *De tribus aliis circumstantiis, videlicet locis, temporibus, et gestis sacræ Scripturæ.*  
CAP. XVII. — *De materia sacræ Scripturæ.*  
CAP. XVIII. — *De difficultatibus sacræ Scripturæ, præsertim in historiis.*

---

CAP. I. — *Quæ Scripturæ, etc., ut jam præmissum est.*

Lectorem divinarum Scripturarum primum erudire oportet, ut sciat quæ Scripturæ divinitatis nomine singulariter dignæ sunt honorari. Nam quidam per Spiritum hujus mundi locuti multa scripserunt. Legimus carmina poetarum, in quibus cum delectatione nonnulla etiam utilitas est; sicut ait quidam:

*Aut prodesse volunt, aut delectare poetæ.*

HORATIUS, *Art. poet.*, 333.

Logica, mathematica et physica, veritatem quamdam docent, sed ad illam veritatem non pertingunt in qua salus animæ est, sine qua frustra est quidquid est. Ethicam quoque scripserunt gentilium

PATROL. CLXXV.

philosophi, in qua quasi membra quædam virtutum de corpore bonitatis truncata pinxerunt; sed membra virtutum viva esse non possunt sine corpore charitatis Dei. Omnes virtutes unum corpus faciunt; cujus corporis caput charitas est. Nec possunt vivere membra corporis nisi sensificentur a capite. Scripturæ igitur illæ, in quibus veritas sine contagione erroris non percipitur, neque ad veram Dei cognitionem sive dilectionem anima reparatur: nequaquam divinitatis nomine censi dignæ sunt. Sola autem illa Scriptura jure divina appellatur, quæ per Spiritum Dei aspirata est, et per eos qui Spiritu Dei locuti sunt, administrata, hominem divinum facit, ad similitudinem Dei illum reformans, instruendo ad cognitionem, et exhortando ad di-

lectionem ipsius. In qua quidquid docetur, veritas; quidquid præcipitur, bonitas; quidquid promittitur felicitas est. Nam Deus veritas est sine fallacia, bonitas sine malitia, felicitas sine miseria. Si vis igitur divinam Scripturam ab aliis, quæ hoc nomen non merentur, recta consideratione distinguere, materiam ipsam circa quam et in qua versatur ejus tractatio, diligenter considera, quoniam notitia rerum ad apertionem verborum facit. Facilius quippe intelliges quod dicitur; si bene notum fuerit, unde dicatur (1).

CAP. II. — *Quod divina Scriptura ab aliis distinguitur in materia et modo tractandi,*

Duo sunt opera Dei, quibus consummantur omnia quæ facta sunt. Primum est opus conditionis, quo facta sunt quæ non erant: secundum est opus restorationis, quo reparata sunt quæ perierant. Opus conditionis est creatio mundi cum omnibus elementis suis. Opus restorationis est incarnatio Verbi cum omnibus sacramentis suis; sive quæ ante incarnationem præcesserunt ab initio sæculi, sive quæ post subsequuntur usque ad finem mundi. Prima igitur opera ad servitutem facta sunt, ut homini, per justitiam stanti, subessent. Secunda vero ad salutem, ut hominem, per culpam jacentem, erigerent: idcirco majora hæc. Propterea illa quasi modicum quid et exiguum virtutis divinæ indicium, brevi tempore, id est sex tantum diebus, perfecta sunt. Hæc vero, quasi excellentia ad comparisonem priorum, et majorem virtutis effectum habentia, non nisi sex ætatibus consummari possunt. In his itaque materiam divinarum Scripturarum considera, ut et in illo de quo tractant, et illo modo quo tractant, hoc est in materia et modo ab aliis eas Scripturis distinguere possis. Aliarum enim Scripturarum omnium materia est in operibus conditionis, divinarum Scripturarum materia in operibus restorationis constat. Hæc igitur est prima discretio in eo de quo tractant. Item aliæ scripturæ si quam veritatem docent, non sine contagione erroris est, si quam bonitatem commendare videntur, vel malitiæ mixta est, ut non sit pura, vel sine cognitione et dilectione Dei est, ut non sit perfecta. Propterea sicut id quod in eis divinum dici putatur, legentis animam per adjunctam falsitatem ad terrena præcipitat, ita quoque quod in Scriptura sacra terrenum esse videtur, per veram Creatoris agnitionem, quæ in his omnibus commendatur, ad divina et cœlestia cogitanda et amanda exaltat (2).

CAP. III. — *De triplici intelligentia sacræ Scripturæ.*

Secundum triplicem intelligentiam exponitur sacrum eloquium. Prima expositio est historica, in qua consideratur prima verborum significatio ad

(1) Vide amplius Dried. lib. 1, cap. 1. De Ecclesiasticis scripturis, et Dogmatibus: atque OEconomia Bibliorum lib. 1, tab. 5.

(2) Plures sacræ Scripturæ ab aliis scripturis distinctiones non spernenda adnotat Georg. Ederus in suis OEconomis Bibliorum, lib. 1, tab. 12, 13,

res ipsas de quibus agitur. Habet enim sacrum eloquium proprietatem quamdam ab aliis Scripturis differentem, quod in eo primum per verba quæ recitantur, de rebus quibusdam agitur, quæ rursum res vice verborum ad significationem aliarum rerum proponuntur. Historia dicitur a verbo græco *ἱστορίω*, historeo quod est video et narro. Propterea quod apud veteres nulli licebat scribere res gestas, nisi a se visas, ne falsitas admisceretur veritati peccato scriptoris, plus, aut minus, aut aliter dicitis. Secundum hoc proprie et districte dicitur historia; sed solet largius accipi, ut dicatur historia sensus qui primo loco ex significatione verborum habetur ad res. Secunda expositio est allegorica. Est autem allegoria, cum per id quod ex littera significatum proponitur, aliud aliquid sive in præterito sive in presenti sive in futuro factum significatur. Dicitur allegoria quasi alieniloquium, quia aliud dicitur et aliud significatur, quæ subdividitur in simplicem allegoriam et anagogen. Et est simplex allegoria, cum per visibile factum aliud invisibile factum significatur. Anagoge id est sursum ductio, cum per visibile invisibile factum declaratur. Hujus triplicis intelligentiæ unum ponatur exemplum. Erat vir in terra Hus, nomine Job, qui prius dives ad tantam devenit miseriam, quod sedens in sterquilinio etiam saniem corporis sui testa radebat. Sensus historiæ patet. Veniamus ad allegoriam, ut per res a vocibus significatas, alias res significari consideremus et per factum aliud factum. Job itaque, qui interpretatur *dolens*, Christum significat, qui prius in divitiis gloriæ Patris eidem cœqualis, condescendit nostræ miseriæ, et sedit humiliatus in sterquilinio hujus mundi, omnibus nostris defectibus, præter peccatum, communicans. Quid etiam per hoc factum, faciendum, id est dignum fieri significetur, inquiramus. Job quemlibet justum vel animam pœnitentem potest significare, quæ componit in memoria sua sterquilinium ex omnibus peccatis quæ fecit, et non ad horam, sed perseveranter super hoc sedendo et meditando flere non cessat. Et hæc facta ad litteram, quæ representant hujus modi spiritualia, sacramenta dicuntur (3).

CAP. IV. — *Non omnia in divino eloquio comperta, sed quædam duntaxat ad dictam triplicem interpretationem esse adigenda.*

Sane non omnia, quæ in divino reperiuntur eloquio, ad hanc triplicem torquenda sunt interpretationem, ut singula historiam, allegoriam et tropologiam simul continere credantur. Quod et si in multis congrue assignari possit; ubique tamen observare, aut difficile est, aut impossibile. Sicut enim in cithara et hujusmodi organis musicis, non quidem omnia quæ tanguntur canorum aliquid reso-

14 et 15.

(3) Circa divinæ Scripturæ expositionum genera, vide quæ uberius et abundantius colligit F. Sixtus in sua Biblia lib. III, 1 part., prope initium; et Georg. Ederus in suis Bibliorum OEconomis, lib. 1, tab. 65, 66, 67, 68, 69, 70 et 71.

nant, sed tantum chordæ, cætera tamen in toto ci-  
tharæ corpore ideo facta sunt ut esset ubi connecte-  
rentur et quo tenderentur illa quæ ad cantilenæ  
suavitatem modulaturus est artifex ; ita in divinis  
eloquiis quædam posita sunt, quæ tantum spiritua-  
liter intelligi volunt ; quædam vero morum gravi-  
tati deserviunt ; quædam etiam secundum simpli-  
cem historiæ sensum dicta sunt : nonnulla vero,  
quæ secundum historiam et allegoriam et tropolo-  
giam convenienter exponi possunt (4).

CAP. V. — *Quod sit necessaria interpretatio  
litteralis et historica* (5).

Cum igitur mystica intelligentia non nisi ex iis  
quæ primo loco littera proponit colligatur ; miror  
qua fronte quidam allegoriarum se doctores jacti-  
tant, qui ipsam adhuc primam litteræ significatio-  
nem ignorant. Nos inquit, Scripturam legimus,  
sed non legimus litteram. Non curamus de littera ;  
sed allegoriam docemus. Quomodo ergo Scripturam  
legitis, et litteram non legitis ? Si enim littera tolli-  
tur, Scriptura quid est ? Nos, inquit, litteram le-  
gimus, sed non secundum litteram. Allegoriam enim  
legimus, et exponimus litteram non secundum  
litteram, sed secundum allegoriam. Quid ergo est  
litteram exponere, nisi id quod significat littera de-  
monstrare ? Sed littera, inquit, aliud significat  
secundum historiam, aliud secundum allegoriam.  
Leo quippe secundum historiam bestiam significat,  
secundum allegoriam Christum significat : ergo vox  
ista, leo, Christum significat. Ego igitur interrogo  
te qui hoc probas quare leo Christum significet ?  
Respondes fortassis, qualiter responderi solet in  
ejusmodi, pro convenientia similitudinis ad signifi-  
cationem propositæ : quia leo apertis oculis dor-  
mit, vel aliud tale aliquid : igitur leo Christum si-  
gnificat, quia apertis oculis dormit. Sic enim di-  
xisti tu, quod leo, dictio ista, Christum significat,  
quia apertis oculis dormit. Aut igitur sententiam  
tolle quam proposuisti, aut muta causam quam  
subjunxisti. Aut enim falsa est sententia, qua dixisti  
quod dictio ista, leo, Christum significat, aut incon-  
veniens causa quam subjunxisti, quod ideo leo  
Christum significat, quia apertis oculis dormit. Non  
enim dictio apertis oculis dormit, sed animal ipsum  
quod dictio significat. Intellige igitur quod cum leo  
Christum significare dicit, non nomen animalis, sed  
animal ipsum significatur. Hoc enim est quod, ut  
dicitur, apertis oculis dormit, secundum quod ali-  
qua similitudine illum figurat, qui in somno mortis  
susceptæ dormivit humanitate, sed oculos habuit  
apertos vigilans divinitate. Noli itaque de intelligen-  
tia Scripturarum gloriari, quandiu litteram ignoras.  
Litteram autem ignorare est ignorare quid littera  
significet, et quid significetur a littera. Nam quod  
significatur a primo, tertium significat. Cum igitur  
res illæ quas littera significat, spiritualis intelli-

gentiæ signa sint, quomodo signa tibi esse pos-  
sunt, quæ necdum tibi significata sunt ? Noli ergo  
saltum facere, ne in præcipitium incidas. Ille re-  
ctissime incedit, qui incedit ordinate. Primum igitur  
illarum rerum quas tibi sacrum eloquium pro-  
ponit, ad mysticam significationem stude legendo  
comparare notitiam, ut ex iis specie cognitis, post-  
modum meditando colligas quod vel ad fidei ædifi-  
cationem, vel ad instructionem bonorum morum  
per similitudinem adducas. Sed non omnia, inqui-  
unt, secundum litteram legi possunt, vel convenien-  
ter intelligi. Cum enim propheta dicat fluvium igneum  
de sub throno Dei egredientem se vidisse, et  
quædam pennata et oculata animalia in circuitu vo-  
lantia et clamantia contestetur (*Dan. vii; Ezech. i*), et  
multa in hunc modum similia, non dubium est quin  
ex iis, quæ sacrum eloquium narrat, quædam secun-  
dum litteram convenienter accipiantur, quædam  
vero perfiguram tantum dicta intelligantur. Sic igitur  
hæc dicunt, quasi nos existimemus omnia quæ  
per litteram dicuntur, sic omnino accipienda, nec  
aliud intelligendum ex iis quæ dicuntur ; quod quid  
est per litteram non dicitur, sed per id quod littera  
dicit, significatur. Nam in eo etiam quod figurative  
dictum accipitur, littera suam significationem habe-  
re non negatur, quia cum id quod dicitur, non sic,  
dicitur, intelligendum esse asserimus, id ipsum ali-  
quo modo dictum esse affirmamus. Dicitur igitur  
aliquid et significatur a littera, tunc etiam quando  
id quod dicitur, non ita intelligitur ut dicitur, sed  
aliud quod per id dictum significatur. Sic igitur om-  
nino aliquid dicitur et significatur a littera, et intel-  
ligendum est illud primum quod significatur a lit-  
tera, ut quid per illud significetur, postea intelli-  
gatur. Ad hunc modum lectorem admonitum  
esse volumus, ne forte hæc prima doctrinæ  
rudimenta despiciat. Neque contemnendam putet  
harum rerum notitiam, quas nobis sacra Scrip-  
tura per primam litteræ significationem pro-  
ponit, quia ipsæ sunt quas Spiritus sanctus  
carnalibus sensibus, et non nisi per visibilia  
invisibilia capere valentibus, quasi quædam  
simulacra mysticorum intellectum depinxit, et  
per similitudines propositas, eorum quæ spirituali-  
ter intelligenda sunt, claram demonstrationem figu-  
ravit. Quod si, ut isti dicunt, a littera statim ad id  
quod spiritualiter intelligendum est, transiliendum  
foret, frustra a Spiritu sancto figuræ et similitudines  
rerum quibus animus ad spiritualia erudiretur, in  
sacro eloquio interpositæ fuissent. Teste namque  
Apostolo, *quod carnale est, prius est, deinde quod  
spirituale* (*I Cor. xv*). Et ipsa Dei sapientia, nisi prius  
corporaliter cognita fuisset, nunquam lippientis  
mentis acies ad illam spiritualiter contemplandam  
illuminari potuisset. Noli igitur in verbo Dei despi-  
cere humilitatem, quia per humilitatem, illuminaris  
ad divinitatem. Quasi lutum tibi videtur totum hoc  
Tit. De usu, et utilitate historicæ ac mysticæ expo-  
sitionis.

(4) Idem fere adnotat D. Georg. Ederus, in suis  
*Œconomis Bibliorum*, lib. I, tab. 72.

(5) Vide Bibliothecam sanctam, lib. III, 1 part,

quod verbum Dei foris habet, et ideo forte pedibus conculcas, quia latum est, et contemnis quod corporaliter et visibiliter gestum littera narrat. Sed audi : luto isto quod pedibus tuis conculcatur, cæci oculus ad videndum illuminatur (*Joan. ix*) Lege ergo Scripturam, et disce primum diligenter quæ corporaliter narrat. Si enim formam horum secundum seriem narrationis propositæ studiose animo impresseris, quasi ex favo quodam postmodum meditando spiritualis intelligentiæ dulcedinem fuges.

CAP. VI. *De ordine, numero et auctoritate librorum sacræ Scripturæ.*

Omnis divina Scriptura in duobus Testamentis continetur (8), Veteri videlicet et Novo. Utrumque Testamentum tribus ordinibus distinguitur : Vetus Testamentum continet legem, prophetas, agiographos. Novum autem Evangelium, apostolos, patres. Primus ordo Veteris Testamenti, id est lex, quam Hebræi *thorath* nominant, pentateuchon habet, id est quinque libros Moysi. In hoc ordine primus est Beresith, qui est Genesis. Secundus Hellesmoth, qui est Exodus. Tertius Vagethra, qui est Leviticus. Quartus Vagedaber, qui est Numeri. Quintus Elleadaberim, qui est Deuteronomius. Secundus ordo est prophetarum, hic continet octo volumina. Primum est Bennum, id est filius Nun, qui et Josue et Jesus, et Jesus Nave nuncupatur. Secundum est Sothim, qui est liber Judicum. Tertium est Samuel, qui est primus et secundus Regum. Quartum Malachim, qui est tertius et quartus Regum. Quintum est Esaias. Sextum Jeremias. Septimum Ezechiel. Octavum Thereasra qui est duodecim prophetarum. Deinde tertius ordo novem habet libros. Primus est Job. Secundus David. Tertius Masloth, quod græce Parabolæ, latine Proverbia sonat, videlicet Salomonis. Quartus Coeeth, qui est Ecclesiastes. Quintus Sirasirim, id est Cantica canticorum. Sextus Daniel, Septimus Dabreiamin, qui est Paralipomenon. Octavus Esdras. Nonus Esther. Omnes ergo fiunt numero viginti duo. Sunt præterea alii quidam libri, ut Sapiencia Salomonis, liber Jesu filii Sirach, et liber Judith, et Tobias, et libri Machabæorum, qui leguntur quidem, sed non scribuntur in canone. His viginti duobus libris Veteris Testamenti, octo libri Novi Testamenti junguntur. In primo ordine Novi Testamenti sunt quatuor Evangelia : Matthæi, Marci, Lucæ et Joannis. In secundo similiter sunt quatuor : Actus videlicet apostolorum, Epistolæ Pauli numero quatuordecim sub uno volumine contextæ. Canonice Epistolæ, Apocalypsis. In tertio ordine primum locum habent decretalia, quos canonicos, id est regulares appellamus. Deinde sanctorum Patrum scripta, id est, Hieronymi, Augustini, Ambrosii, Gregorii, Isidori, Origenis, Bedæ et

A aliorum doctorum, quæ infinita sunt. Hæc tamen scripta Patrum in textu divinarum Scripturarum non computantur, quemadmodum in Veteri Testamento, ut diximus, quidam libri sunt qui non scribuntur in canone, et tamen leguntur, ut Sapiencia Salomonis et cæteri. Textus igitur divinarum Scripturarum, quasi totum corpus principaliter triginta libris continetur. Horum viginti duo in Veteri, octo vero in Novo Testamento (sicut supra monstratum est) comprehenduntur. Cætera vero scripta quasi adjuncta sunt, et ex his præcedentibus manantia. In his autem ordinibus, maxime utriusque Testamenti apparet convenientia : quia sicut post legem prophetæ, et post prophetas agiographi, ita post Evangelium apostoli, et post apostolos doctores ordine successerunt. Et mira quadam divinæ dispensationis ratione actum est, ut, cum in singulis Scripturis plena et perfecta veritas consistat, nulla tamen superflua sit (6-8).

CAP. VII. — *De sacrorum librorum scriptoribus* (9).

Quinque libros legis Moyses scripsit. Libri Josue idem Josue cujus nomine inscribitur, auctor fuisse creditur. Librum Judicum a Samuele editum fuisse credunt. Primam partem libri Samuelis ipse Samuel scripsit : sequentia vero usque ad calcem, David. Malachim Jeremias primum in volumen unum collegit ; nam antea sparsus erat per singulorum regum historias. Isaias, Jeremias, Ezechiel, singuli suos libros fecerunt, qui inscripti sunt nominibus eorum. Liber etiam duodecim prophetarum auctorum suorum nominibus prænotatur, quorum nomina sunt. Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Micheas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggeus, Zacharias et Malachias ; qui propterea minores dicuntur, quia sermones eorum breves sunt, unde et uno volumine comprehenduntur. Isaias autem et Jeremias et Ezechiel et Daniel, hi quatuor majores sunt singulis suis voluminibus distincti. Librum Job, alii Moysen, alii unum ex prophetis, nonnulli ipsum Job scripsisse credunt. Librum psalmodum David edidit. Esdras autem postea psalmos ita ut nunc sunt ordinavit, et titulos addidit. Parabolæ autem et Ecclesiastem, et Cantica canticorum Salomon composuit. Daniel sui libri auctor fuit. Liber Esdras auctoris sui titulo prænotatur, in cujus tectu ejusdem Esdræ Neemiæque sermones pariter continentur. Librum Esther Esdras creditur conscripsisse. Liber Sapienciæ apud Hebræos nusquam est : unde et ipse titulus græcam magis eloquentiam redolet. Hunc quidam Judæi Philonis esse affirmant. Librum Ecclesiasticum certissime filius Sirach Hierosolymita nepos Jesu sacerdotis magni, cujus meminit Zacharias, composuit. Hic apud Hebræos reperitur : sed inter apocryphos

(6-8) De his copiosius habes apud F. Sixtum in sua Bibliotheca, lib. xi, part. i, quasi per totum. Et apud Georgium Ederum in *Oeconomii Bibliorum*, lib. i, tab. 17 usque ad 47 ; et apud D. Michaelem de Medicina, in suis Commentariis ; sic que apud Petrum

Aureolum in suo Compendio.

(9) De hoc singulariter vide F. Sixtum in sua Bibliotheca, lib. xi, part. i, qui doctissime sacrorum librorum scriptores exponere videtur.

habetur. Judith vero et Tobias, et libri Machabæorum, quorum ut testatur Hieronymus, secundus liber magis græcus esse probatur, quibus auctoribus scripti sunt minime constat.

CAP. VIII. — *De bibliothecæ Veteris Testamenti reparatione.*

Bibliothecam Veteris Testamenti Esdras scriba, post incensam legem a Chaldæis, dum Judæi ingressi sunt Jerusalem divinò afflatus spiritu, reparavit (10); cunctaque legis ac prophetarum volumina, quæ fuerant a gentilibus corrupta, correxit; totumque Vetus Testamentum in viginti duos libros constituit, ut tot libri essent in lege, quot habebantur et litteræ.

CAP. IX. — *De diversis Scripturæ Sacræ translationibus.*

Scripturam Veteris Testamenti prius in hebraica lingua editam constat (10\*). Postea Ptolemæus qui Philadelphus cognominatus est, et secundus post Alexandrum Magnum regem Ægypti obtinuit, per septuaginta interpretes, quos ab Eleazaro pontifice acceperat, bibliothecam Veteris Testamenti in græcam linguam ex hebræa interpretari fecit. Et, ut aiunt quidam, ne posset decipi ab eis, falsitate translationis, divisit eos, ut singuli in singulis cellis separati essent. Illi vero ita omnia per Spiritum sanctum interpretati sunt, ut nihil in unius codice inventum esset, quod in alterius similiter non inveniretur. Propter quod una est eorum interpretatio. Sed Hieronymus (11) dicit, huic rei non esse adhibendam fidem. Post ascensionem vero Domini prædicantibus apostolis Evangelium, hæc eadem translatio in gentibus reperta est, et secundum hanc ab Ecclesiis Christi primum sacræ Scripturæ legi cœperunt. Postea vero, quia eidem translationi quædam deesse probata sunt, quæ in hebraica veritate tam ipsius Christi quam apostolorum prædicantium auctoritas contineri promulgaverat, conati sunt et alii sacram Scripturam de hebraica lingua in græcum transferre sermonem. Secundam igitur et tertiam et quartam translationem fecerunt Aquila, Symmachus, Theodotion. Quorum primus videlicet Aquila, Judæus; Symmachus vero et Theodotion Hebionitæ hæretici fuerunt. Obtinuit tamen usus, ut post Septuaginta interpretes Ecclesiæ græcorum eorum reciperent exemplaria et legerent. Post hæc accessit quinta, quæ Vulgaris dicitur; quæ quodam tempore in Jericho reperta est. Sed quis auctor ejus fuerit, usque hodie ignoratur. Sextam et septimam Origenes fecit, cujus codices Eusebius et Pamphilus vulgaverunt. Octavo loco Hieronymus accessit, non jam de hæbreo in græcum sicut priores, sed de hebræo in latinum transferens sermonem.

(10) De hoc meminit Bibl. sancta, lib xi, part., i tit. Esdræ libri duo.

(10\*) Circa hanc materiam multa colligit F. Sixtus in ii par. suæ Biblio. lib viii, ubi de Translationibus sacræ Scripturæ loquitur.

(11) In Prolog. Bibliorum.

(12) Quamplura disserit de hoc F. Sixtus in sua

A Cujus translatio, quia hebraicæ veritati concordare magis probata est, idcirco Ecclesia Christi per universam latinitatem præ cæteris omnibus translationibus, quas vitiosa interpretatio, sive prima de hebræo, in græcum, sive secunda de græco in latinum facta, corruperat, hanc solam legendam et in auctoritate habendam constituit. Usu autem pravo [primo] invalescente, qui nonnunquam solita magis quam vera appetit, factum est, ut diversas diversis sequentibus translationes ita tandem omnia confusa sint, ut pene nunc cui tribuendum sit, ignoretur.

CAP. X. — *De scriptoribus Novi Testamenti.*

B Plures Evangelia scripserunt, sed quidam sine Spiritu sancto magis conati sunt ordinare narrationem, quam historiæ texere veritatem. Unde sancti Patres, per Spiritum sanctum docti, quatuor tantum in auctoritatem receperunt Evangelia, id est, Matthæi Marci, Lucæ Joannis, ad similitudinem quatuor fluminum paradisi, et quatuor vectium arcæ, et quatuor animalium in Ezechiele (Ezech. i). Primus Matthæus Evangelium suum scripsit hebraice. Secundus Marcus, græce scripsit. Tertius Lucas, inter omnes Evangelistas græci sermonis eruditissimus, Evangelium suum scripsit, Theophilo archiepiscopo, ad quem etiam Actus apostolorum scripsit. Quartus et ultimus Joannes Evangelium suum scripsit. Paulus quatuordecim scripsit epistolas. Canonice epistolæ septem sunt, una Jacobi: duæ Petri, tres Joannis, una Judæ. Apocalypsim scripsit Joannes apostolus in Pathmo insula (12).

CAP. XI. — *De scriptis apocryphis.*

D Hi sunt scriptores sacrorum librorum, qui per Spiritum sanctum loquentes, ad eruditionem nostram præcepta vivendi regulamque conscripserunt. Præter hæc, alia volumina apocrypha nominantur; apocrypha autem dicta, id est abscondita et secreta, quia in dubium veniunt. Est enim eorum origo occulta, nec patet sanctis Patribus a quibus edita sint. In quibus etsi aliqua veritas, tamen, propter multa falsa, nulla est in eis canonica auctoritas: quod recte non judicatur esse eorum quibus ascribuntur: nam multa sub nominibus prophetarum, et recentiora sub nominibus apostolorum ab hæreticis proferuntur; quæ omnia sub nomine apocryphorum a divina auctoritate per examinationem remota sunt (13).

CAP. XII. — *De bibliothecæ interpretatione, et variis librorum nominibus (14).*

Bibliotheca a græco nomen accepit, eo quod ibi libri recondantur. Nam *biblion* librorum, *theca* repositio interpretatur. Codex multorum librorum est, liber unius voluminis, et dictus codex per tran-

Bibliot. lib. xi, par. i, tit. de Scripturis et scriptoribus Novi Testamenti.

(13) De scriptis apocryphis vide quæ ad unguem colligit idem F. Sixtus in sua Bibl. lib. xi, par. i, tit. de Sripturis apocryphis; et D. Georg. Ederus in suis OEconomis Bibliorum, lib. i, tab. 44.

(14) De his vide Isidorum Hisp. lib. vi. Etymol.

slationem a caudicibus arborum sive vitium, quasi caudex quod in se multitudinem librorum quasi ramorum contineat. Volumen dicitur a volvendo. Liber est interior cortex arboris, in quo antiqui, ante usum membranæ, solebant scribere, unde scriptores librarios vocabant, inde dictus est liber volumen. Tractatus est unius rei multiplex expositio. Testamentum dicitur sacra Scriptura, humana consuetudine dante occasionem: antiquitus enim qui carebant liberis adoptabant sibi filios, et cum constituebant illos hæredes, vocabant testes et scribebant chirographum, non erat tamen ita ratum quin posset mutari, nisi mortuo testatore. Similiter Deus unum solum Filium habens ex natura, multos voluit adoptare ex gratia. Et primitus unum elegit Abraham; cui præcipit exire de cognatione sua, et promisit terram Palæstinam; nec tamen ipse legitur inde aliquid possedisse. Posthac filiis Israel eductis de Ægypto, eandem terram Palæstinam repromisit, et ne dubitarent fecit Testamentum in certitudinem promissæ hæreditatis scilicet legem quæ per Moysen data est. Sed quia Deus non poterat mori, et testamentum morte testatoris confirmandum erat, interfectus est pro eo agnus mysticus, cujus sanguine respersus est liber et totus populus, in confirmationem promissæ hæreditatis. Eodem modo Dominus Jesus Christus vocans ad æternam hæreditatem, non unum tantum hominem, sed omnes gentes, fecit testamentum, Evangelium videlicet. In cujus confirmationem non agnus ille antiquus occiditur; sed ipse (quia homo erat et mori potuit) mortem subiit. Et sicut Deus ad Vetus Testamentum dandum vocaverat testes, Aaron scilicet et Mariam sororem ejus et Ur; ita Christus, qui majora promisit, plures vocavit testes, apostolos videlicet et martyres. Vetus dicitur Testamentum primum, vel quia prius datum, vel quia de rebus veterascentibus est institutum. Novum dicitur secundum, quia de immutabilibus et semper novis loquitur. Propheta tripliciter dicitur, officio, gratia, missione. Officio, sicut quando eligebatur aliquis qui imminente bello de dubiis consuleret Dominum, sive per assumptum ephod; sive alio quolibet modo. Gratia, sicut ille cui Dominus per internam inspirationem dabat notitiam rerum, quam nec natura nec disciplina habere poterat sed sola gratia, sicut David et Daniel et Job. Missione, sicut ille quem mittebat Dominus ad prædicandum ea quæ ei inspiraverat, ut Jonas. Sed tamen sicut in istis diebus non dicuntur episcopi, nisi qui officii dignitatem et potestatem habent, licet meritum habeant et virtutem hujus nominis abundantius illis qui episcopi sunt, ita nec prophetæ dicebantur, nisi qui officio aut missione prophetæ essent. Unde David, Job, Daniel, licet contineant prophetias in libris suis: inter agiographos tamen positi sunt; et e contrario Josue, liber Judicum et libri Samuelis, et Regum, qui solam historiam texuerunt vel

A texere videntur, inter Prophetas connumerantur.

Quæritur etiam, cur novem tantum dicantur agiographi, id est sancti scriptores, cum hoc nomen conveniat omnibus sacræ Scripturæ auctoribus? Ad quod respondendum, quia quod nullam habet specialem proprietatem qua distinguatur a cæteris, commune nomen quasi proprium obtinet, non ex prærogativa, sed potius quasi ex quadam indignitate respectu aliorum; sicut in novem ordinibus angelorum minimus simpliciter obtinet commune nomen, et quærenti quis sit, respondetur: angelus est, cum etiam principatus et potestates angeli sint. Apocryphus, id est dubius et absconditus liber duobus modis dicitur: vel quia auctor ejus incertus, vel quia communi assensu fidelis synagogæ vel ecclesiæ non est receptus et confirmatus, etsi etiam nihil in eo [pravi, Ed.] reperiatur. Unde et liber Job apocryphus est, quia dubii auctoris; in canone tamen confirmatus est auctoritate fidelis synagogæ. Item Ecclesiasticus, liber Sapientiæ Salomonis et duo libri Machabæorum, Tobias, Judith, et liber Jesu filii Sirach apocryphi sunt; leguntur tamen et ad Vetus Testamentum pertinent, sed non sunt confirmati in canone.

#### CAP. XIII. — De fructu divinæ lectionis.

Quisquis ad divinam lectionem accesserit, primum qualis sit fructus ejus agnoscat. Nihil enim sine causa appeti debet; nec desiderium trahit, quod utilitatem non promittit. Geminus est divinæ lectionis fructus: quia mentem vel scientia erudit, vel moribus ornat. Docet quod scire delectat, et quod imitari expediat. Quorum alterum, id est scientia magis ad historiam et allegoriam, alterum, id est instructio morum, ad tropologiam magis respicit. Omnis divina Scriptura refertur ad hunc finem (15) Septem liberales artes huic scientiæ subserviunt. Trivium ad significationem vocum. Quadrivium ad rerum significationem respicit. Grammatica recte loqui et competenter pronuntiare voces docet. Dialectica ad distinguendas in eis significationes et ad veritatem per disputationem inquirendam valet. Rhetorica ad utrumque spectat. Physica interiores rerum naturas, mathematica exteriores figuras et numeros docet.

D CAP. XIV. — Quem fructum sacra Scriptura ex aliis capiat, et quid aliis præstet; et de septem circumstantiis quibus res significatæ discernuntur.

Diligens scrutator sacri eloquii rerum significationes nequaquam negligere debet, quia sicut per voces primarum rerum notitia acquiritur, ita per significationem rerum earundem intelligentia, quæ spirituali notificatione percipiuntur, et manifestatio perficitur. Philosophus in aliis scripturis solam vocum novit significationem; sed in sacra pagina excellentior valde est rerum significatio quam vocum: quia hanc usus instituit, illam natura dicta-

(15) Fructum divinæ lectionis explicatius habes apud Georgium Ederum in suis *Economicis Biblioth.* tab. 84.

vit. Hæc hominum vox est, illa Dei ad homines. **A** CAP. XV. — *De numeris mysticis sacræ Scripturæ* (16).  
 Significatio vocum est ex placito hominum : significatio rerum naturalis est, et ex operatione Creatoris volentis quasdam res per alias significari. Est etiam longe multiplicior significatio rerum quam vocum. Nam paucae voces plusquam duas aut tres significationes habent ; res autem quælibet tam multiplex potest esse in significatione aliarum rerum, quot in se proprietates visibiles aut invisibiles habet communes aliis rebus. Hæ autem res primæ per voces significatæ, et res secundas significantes, sex circumstantiis discretæ considerantur : quæ sunt hæ, videlicet res, persona numerus, locus, tempus, gestum. In his enim significatio rerum primarum ad secundas consideratur. Res autem in hoc loco intelligimus in materia quacunque, vel substantia inanimata cælestium sive terrestrium, constitutas : ut sunt lapides, ligna, herbæ, et cætera hujus modi, quæ in elementis vel ex elementis sunt. Omnis autem res quæ ad significandum proponitur in Scriptura sacra, aut secundum exteriorem formam, aut secundum interiorem naturam significat. Rem autem large hic accipimus supra dicta sex continentem, sub qua et res continetur, id est materia, quam proposuimus in prima circumstantia. Omnis igitur res aut secundum interiorem naturam, aut secundum exteriorem formam significat. Sub exteriori forma figuræ rerum et colores continentur ; quæ visu percipimus. Ad interiorem naturam pertinent aliæ rerum proprietates, quas cæteris sensibus comprehendimus, ut est dulcedo in sapore, quam percipimus gustu ; fragrantia in odore, quam percipimus olfactu ; melos in sono, quod et quem percipimus auditu ; lenitas sive asperitas in corpore et cætera hujusmodi, quæ percipimus tactu. Prima illa circumstantia, id est res, quæ in hoc loco stricte accipitur, dupliciter significat ; verbi gratia. Nix interiori natura, scilicet frigiditate, extinctionem fervoris libidinum ; et exteriori forma, videlicet candore, munditiam operum designat.

Persona est rationalis substantiæ individua essentia. Personæ sunt, quæ in sacra Scriptura commemorantur, in quibus secundum eventus et opera et alio quolibet modo rerum mysticarum significatio præparatur. Persona igitur in sacro eloquio significat, ut Jacob, qui hæreditatem patris accepit, Christum vel populum gentilem designat ; Isaac, qui filium benedixit, Deum patrem figurat. Numerus quoque significat, ut, verbi gratia, senarius perfectionem. Unde ait B. Augustinus : Non quia Deus sex diebus cuncta opera sua condidit perfectus senarius, sed potius quia perfectus est, illum numerum Deus ad operandum præelegit ; sed quia numerus multifariam significationem habere dignoscitur, de eo aliquanto latius tractandum est.

<i>Significant autem his novem modis.</i>	
<i>Secundum ordinem positionis.</i>	1
<i>Secundum qualitatem compositionis.</i>	2
<i>Secundum modum porrectionis.</i>	3
<i>Secundum formam dispositionis.</i>	4
<i>Secundum computationem.</i>	5
<i>Secundum multiplicationem.</i>	6
<i>Secundum partium aggregationem.</i>	7
<i>Secundum multitudinem.</i>	8
<i>Secundum exaggerationem.</i>	9

Numeri igitur novem modis significant in divino eloquio : secundum ordinem positionis, secundum qualitatem compositionis, secundum modum porrectionis, secundum formam dispositionis, secundum computationem, secundum multiplicationem, secundum partium aggregationem, secundum multitudinem, secundum exaggerationem.

Secundum ordinem positionis : ut unitas, quia prima est in numeris, rerum omnium significat principium. Binarius, quia secundus est, et primus ab unitate recedit, peccatum significat quo a primo bono deviatum est. Secundum qualitatem compositionis numeri significant, ut idem binarius qui sectionem recipit, et in duo dividi potest, corruptibilia et transitoria significat. Ternarius vero, quia unitate media interveniente sectionem non recipit, ut in duo æqua dividatur, indissolubilia et incorruptibilia designat.

**C** Secundum modum porrectionis numeri significant, ut septenarius ultra senarium requiem post operationem. Octonarius ultra septenarium, æternitatem post mutabilitatem. Novenarius ante denarium, defectum intra perfectionem. Undenarius ultra denarium, extra mensuram transgressionem.

Secundum formam dispositionis, ut denarius, qui in longum tenditur, rectitudinem fidei significat. Centenarius, quia in latum expanditur, amplitudinem charitatis. Millenarius qui in altum levatur, altitudinem spei designat. Rectitudinem ad se, latitudinem ad proximum, altitudinem ad Deum. Primæ igitur et principali unitati ex his tribus membris ordine positionis, denarius proximus est ; millenarius forma dispositionis. Ille loco vicinior, iste perfectione similior.

**D** Secundum numeri computationem ut denarius perfectionem significat, quia in eo porrectio computationis finem facit.

Secundum multiplicationem numeri significant, ut duodenarius universitatis signum est, quia ex ternario et quaternario invicem multiplicatis perficitur ; quoniam quaternarius corporalium, ternarius spiritualium forma est.

Secundum partium aggregationem numeri significant, ut senarius forma est perfectionis, propterea quod partes ejus ternarius, binarius, unitas, aggregate simul totum complent ; et nec ultra exuberant,

(16) De Numeris sacræ Scripturæ mysticis vide Rabanum, Jodocum Clithoveum, et inter recentiores Petrum Bongum Bergomensem.

nec infra subsistunt, quod perfectioni convenit, in qua nec plus justo nec minus esse debet.

Secundum multitudinem partium numeri significant, ut binarius propter duas unitates charitatem Dei et proximi. Ternarius propter tres, trinitatem. Quaternarius, propter quatuor tempora, temporalia, quoniam annus et mundus quatuor partibus distinguuntur. Quinarius, quinque sensus. Septenarius præsens sæculum, quod septem diebus volvitur.

Secundum exaggerationem numeri significant, cum causa exigit aggravari, et cum quadam exaggeratione iis, quæ præmissa sunt, responderi, quale est illud in Levitico : *Ad Adam correptiones vestras septuplum propter peccata vestra* (Lev. xxvi), ubi nihil aliud quam multiplicitas pœnæ signatur, expressa per septenarium. Ex paucis multa sapiens perpendere discat.

CAP. XVI. — *De locis, temporibus, ac gestis mysticis sacræ Scripturæ.*

Hæc de numeris, propter multiplicem significationem eorum, paulo prolixius prosecuti sumus. Nunc autem ad quartam circumstantiam, id est locum, vertamus sermonem. Loca significant, unde Dominus in certis et determinatis locis certa negotia geri voluit, propter significationem : ut verbi gratia, filii Israel descendentes in Ægyptum, cogente fame, oppressi sunt gravi servitute ; inde vero educti a Domino per desertum quadraginta annis iter agentes, venerunt in terram promissionis, quæ sita est inter Babylonem et Ægyptum. Et utraque gens, id est Ægyptii et Assyrii captivaverunt eos; sed prius Ægyptii : ista omnia significationi apta sunt. Ægyptus, quæ est terra voluptuosa et deliciis affluens, mundum significat, non machinam istam, sed voluptates mundi et secularia desideria. Desertum significat vitam religiosam, per quam quasi repatriantes jejunamus a vitiis et concupiscentiis hujus sæculi. Babylon ad aquilonem posita est, ubi frigus perpetuum et obscuritas est, cum numquam pars illa a sole contingatur. Per Assyrios igitur, id est Babylonios, dæmones competenter designantur, qui ad aquilonem sedem sibi elegerunt, utpote frigore infidelitatis torpentes, et veritatis luce privati. Prius Ægyptii opprimunt Israel, deinde Assyrii, non enim in nobis potest quidquam diabolus, nisi prius trahamur a propriis concupiscentiis. Unde : *Ne tradas me Domine a desiderio meo peccatori*, id est diabolus (Psal. cxxxix).

Tempora significant. Exempli causa, Jesus erat in porticu Salomonis, et hiems erat. Ideo de hieme habita est mentio, ut per qualitatem temporum designaretur qualitas animorum, id est torpor et infidelitas Judæorum.

Gestum significat, ut in Evangelio patet. Venit Jesus in Bethaniam, et suscitavit Lazarum ; deinde per montem Oliveti venit in vallem Josaphat, et misit discipulos in civitatem propter asinam, etc. Bethania domus obedientiæ. Ad obedientem tantum

venit Christus, ut resuscitaret Lazarum, id est animam prius mortuam in peccatis. Cum itaque sex sint circumstantiæ, quæ dicuntur significare, quæcunque earum significet, aut factum significat factum et est allegoria ; aut factum faciendum significat, et est moralitas. In his duobus ad cognitionem veritatis, id est integritatem fidei, et ad amorem bonitatis, id est ad perfectionem bonorum operum, instruimur, Propter quæ duo legenda est divina Scriptura, scilicet ut credamus sincere, et bene operemur.

CAP. XVII. — *De materia sacræ Scripturæ.*

Materia divinæ Scripturæ est Verbum incarnatum cum omnibus sacramentis suis, tam præcedentibus a principio mundi quam futuris usque ad finem sæculi. Et sciendum quod tota ista series et porrectio temporis dividenda est in duos status : veterem, et novum, et tria tempora naturalis legis, et scriptæ et gratiæ, et sex ætates. Prima ætas ab Adam usque ad Noe. Secunda a Noe usque ad Abraham. Tertia ab Abraham usque ad David. Quarta a David usque ad transmigrationem Babylonis. Quinta a transmigracione Babylonis usque ad adventum Christi. Item quinque ætates præcedentes, id est ab Adam usque ad Christum distinguuntur in quatuor successiones. Prima patriarcharum fuit ab Adam usque ad Moysem. Secunda fuit a Moyse usque ad David, quæ est iudicium. Tertia, quæ est Regum, a David usque ad transmigracionem Babylonis. Quarta a transmigracione Babylonis usque ad Christum ; et hæc successio sacerdotum fuit. Status dicuntur, quia ad esse hominis pertinent. Vetus dicitur status, quia in culpa et pœna usque ad resurrectionem Christi. Novus autem dicitur propter innovationem vitæ humanæ, quæ per gratiam Christi facta est usque ad finem sæculi. Item tempus naturalis legis dicitur, eo quod homo suo naturali sensui relictus fuit sine communi præceptione. Tempus scriptæ legis dicitur, eo quod tunc lex scripta in populo Dei præcepta dabat vivendi. Tempus gratiæ, quia Christus gratis dedit implere quod lex præceperat. Ætates dicuntur sex ad similitudinem ætatis hominum. Fuit enim mundus et infans et puer, etc. Et notandum quod ætates istæ non distinguuntur secundum æqualia spatia temporum, sed secundum communes innovationes rerum ; ut fuit diluvium, et electio Abraham, et institutio regum et transmigratio in Babylonem, et adventus Christi. Successio patriarcharum dicitur, quia eo tempore soli patres præerant filiis suis : quod duravit usque ad Moysem, qui, primus in populo Dei principatum tenens, iudex constitutus est non tantum super filios suos, sed super totum populum Israel, licet jam multi reges essent in gentibus. Vel ideo patriarcharum successio nominatur, quia eo tempore successerunt sibi ad invicem primitivi illi patres a quibus genus humanum disseminatum est et familiæ derivatæ, et patriæ denominatæ, ut ab Edom Edumei, a Levi Levitæ, a Juda Judæi.



CAP. XVIII.— *De difficultatibus sacræ Scripturæ* (17).

Multa in Scriptura sacra occurrunt, quærerum gestarum seriem ignorantibus, difficultatum pariunt intelligendi. Quemadmodum hoc quod in libro Judith legitur, Arfaxat rex Judæorum multas gentes suo imperio subjugasse, ac contra Nabuchodonosor regem Assyriorum pugnasse, et jure obtentus belli eidem regi Assyriorum ad omnia regna suæ ditioni sudjicienda spem ac confidentiam addidisse. Hinc Nabuchodonosor Holofernem, principem militiæ, ad debellandas gentes misisse; qui subactis cæteris, Judæos rebellare conantes in Bethulia obsedit, atque, Achior principe filiorum Amon narrante, didicit ipsum esse populum qui, nuper a captivitate reversus, eadem montana possedit. Si igitur quærimus, quo tempore hæc gesta sint, vel quis fuerit Nabuchodonosor iste qui in Ninive regnavit, cum Nabuchodonosor non in Ninive, sed in Babylone regnasse perhibeatur, neque Assyriorum sed Chaldæorum fuisse rex legatur, idemque in reditu populi de captivitate Babylonis jam mortuus nequaquam dubitetur, non parva in his diligenter considerantibus dubitatio exoritur. Dicunt itaque hunc Nabuchodonosor Cambysem filium Cyri intelligendum; qui propterea ab Hebræis secundus Nabuchodonosor appellatus est, quod, ut credebatur, illius Nabuchodonosor facta imitans, magnam in filios Israel crudelitatem exercuit. Ubi reliqua forsitan convenire potuissent, nisi quod in libro Judith legitur verbum factum in domo Nabuchodonosor anno duodecimo regni ejus, cum Cambyses filius Cyri non nisi octo annis regnasse perhibeatur. Verum in numeris multa mendacia scriptorum libris inesse deprehendimus, tamen in ejusmodi studiosus lector moveri non debet, quia aliquid est, veritati appropinquasse, illic etiam ubi non contingit in toto illam comprehendere. In libris etiam Machabæorum et in Daniele quædam dicuntur, quæ non facile intelligere possis, nisi cognoveris primum eos qui post Alexandrum Magnum in regnum Syriæ et Ægypti successerunt: In Daniele siquidem audis regem aquilonis frequenter nominari; ubi per austrum nihil aliud quam regnum Ægypti; et per aquilonem nihil aliud quam regnum Syriæ, secundum litteram intelligi oportet; quorum reges alternis vicibus, nunc pace nunc bello ad invicem varia tempora habuisse leguntur. Quas vicissitudines, nisi prius eorum gestis cognitis, non facile discernes. Item quod in libro Machabæorum legimus, Antiochum atque Demetrium eorumque successores pro regno Syriæ ex adverso pugnantes, ipsumque regnum quasi paterno jure hinc inde utrosque vindicantes, intelligere non poteris qua de causa factum sit, nisi agnoveris qualiter Seleucus filius Antiochi Magni, rex Syriæ, moriens successorem reliquerit Antiochum Epiphaneum fratrem suum. Quo mortuo Demetrius Seleuci filius egressus ab urbe Roma venit in Syriam, in re-

gnum videlicet patris sui. Cujus adventu comperto, exercitus qui cum Antiocho Epiphaneo fuerat, ejusdem Antiochi filium, hoc est Antiochum Eupatorem interfecit. Sicque Demetrius regnum obtinuit. Alexander vero filius Antiochi Eupatoris, cum crevisset, exercitum collegit, oppressoque Demetrio regnum recepit. Post Demetrius filius Demetrii fugato Alexandro potestatem ad se revocavit. Deinde Tryphon quidam Partium Alexandri filium, quem nutriendum acceperat, occidit. Sed illo tandem oppresso, regnum in progenie Seleuci permansit. Hæc breviter ad evidentiam lectionis distinximus, ut ea quæ scripta sunt, aut non legantur, aut intelligantur. Hæc vero tempora Machabæis insignia fuerunt, quorum primus Judas, zelo divinæ legis accensus, impetus Græcorum fortiter propulsavit; quo mortuo Jonathas frater ejus successit. Postremo sanguine et virtute germanus defuncto Symone successit Joannes Hircanus filius ejus, et post Joannem filius ejus Aristobolus, et post Aristobolum Alexander filius ejus; post quem Alexandria uxor ejus tenuit quidem principatum generis, Hircano autem filio suo pontificalem dignitatem tribuit. Hujus Hircani tempore quidam latrunculi ab Hierosolymis egressi circa Ascalonem prædas egerunt, ubi inter cæteros captivos Antipater quidam juvenis, cujusdam Herodis genere Idumæi, qui in Ascalone templi Apollinis sacerdos exstitit, filius, Hierosolymam captivus ductus est. Hic itaque Antipater in domo Hircani aliquot annis serviens, industria ac probitate spectabilis, eidem Hircano domino suo gratosus exstitit, in tantum ut ei universam domum suam committeret. Circa hæc tempora contigit ut Antigonus, Hircani pontificis frater junior, eundem Hircanum a pontificatu propellens, sacerdotii dignitatem arriperet. Cumque Pompeius consul Romanorum tunc per Syriam exercitum duceret, supradictus Antipater, missus ab Hircano domino suo ad Pompeium veniens, impetravit ut cum exercitu Hierosolymam ascenderet, et dejecto Antigono, sacerdotii dignitatem Hircano reformaret. Pompeius itaque, restituto Hircano, tributa terræ solvenda indixit, atque eundem Antipatrum universæ regioni præfecit recedens. Antipater autem antiquæ gratiæ non immemor erga Hircanum benignus exstitit, tantaque modestia injunctum officium exercuit, ut tam Judæis quam Romanis complaceret. Genuit autem filium Herodem nomine; qui post mortem patris tum merito propriæ virtutis, tum etiam gratia paternæ devotionis a Romanis coronam accepit, et rex factus est. Hic est Herodes, cujus regni anno tricesimo primo natus est Christus. Qui quoniam alienigena primus Judææ regnum suscepit, audita fama per magos de nativitate regis Judæorum, territus est. Et ne forte regnum quod usurpaverat, amitteret, quem successorem timuit, extinguere conabatur. Peremit itaque innocentes, ut, universis morientibus, ille, quem unum insecta-

(17) Toti huic c. multum confert doctrina Melchioris Cani, in lib. xi suorum Locorum. Theolog.

batur, non evaderet. Hic etiam Herodes, post alias uxores quas primitus duxerat, Mariannem quamdam, Hircani pontificis neptem, factus rex duxit uxorem, de qua duos genuit filios Alexandrum et Aristobolum. Sed hæc cum postea et propter speciem, et propter generis dignitatem insolesceret, animum ejus adversum se graviter exacerbavit; accessit huic molestiæ quod ab aliis concubinis de stupro accusata est, in tantum ut etiam Antonio consuli Romanorum, qui tunc in partibus orientis agebat, imaginem sui pictam ad ipsius animum in amorem sui concitandum misisse diceretur. Qua suspitione fractus Herodes sororio suo cum quo consilia sua communicare consueverat, secretum aperit, eamque interfici jubet. Ille vim amoris considerans, et furoris jussa poenitentiam subsequitur sciens, Mariannem secreto corripit, et nisi adversus maritum humilietur, quod periculum imminet, ostendit. Timor contumacem mansuefecit; sicque brevi mutatis moribus Herodis animum ad amorem sui reparavit. Inter hæc cum quadam die solus cum sola blandius jocaretur suumque amorem jactaret: Verum (inquit illa) quomodo amas, quam mortuam malles quam vivam? Nam et interfici me præcepisti. Ille, se proditum agnoscens, cum furore surrexit; et quia jam prius quædam verba de amore hujus ac sororii sui sinistra audierat, nunc rem auditam quasi probatam credens, jubet utrosque occidi. Post autem poenitentia ductus, furorem furore mutavit, et per singula momenta Mariannem clamans, se sine illa vivere non posse dicebat. Accessit concubinarum pestifera delatio, quæ filios in ultionem sanguinis adversus patrem armari testatur. Ille ergo missis Romam litteris a senatu impetravit ut parricidas et insidiatore vitæ suæ necaret, sicque post matrem filiis trucidatis, et ipse postea quoque diuturnis doloribus contabescens, morte miserabili vitam finivit. Reliquit successores filios, Archelaum regem in Judæa, Herodem tetrarcham in Galilæa, Philippum autem tetrarcham in Iturea et Traconitide regione, et Lisaniam in Abilina. Archelaus autem, cum novem annis post ipsum patrem regnasset, apud Romanos a Judæis de insolentia accusatus, regno exsulans Lugdunum in exilium mittitur: ubi et vita functus est. Romani autem ad procurandam Judæam præsidem posuerunt. Herodes autem tetrarcha Galilææ Philippo fratri suo uxorem ejus nomine Herodiadem filiam Aretæ regis Arabum, abstulit, eamque sibi contra morem in conjugium copulavit.

(18-19) Aliis. *Beroronice* dicitur.

A Pro quo scelere cum a Joanne Baptista argueretur, suggestione Herodiadis ipsum Joannem decollavit. Hic est Herodes tetrarcha filius Magni Herodis qui in passione Domini Hierosolymam ascendisse legitur, et qui Jesum a Pilato præside ad se missum, alba veste indutum illudit, atque ad Pilatum judicandum remisit. Porro Aristobolus filius Herodis Magni, atque hujus Herodis frater ex Marianne matre natus, quem superius a patre Herode et ob suspicionem parricidii trucidatum diximus, filium habuit nomine Agrippam. Qui cum adultus esset, orbatum et exhæredatum se cernens, quanta potuit pecunia collecta, Romam perrexit; ibique cuidam Caio Caligulæ nepoti Tiberii Cæsaris familiaritate junctus est. Qui Caius, cum post mortem Tiberii imperium sumpsisset, eundem Agrippam ob meritum pristinae devotionis in Phœnicia regem constituit. Herodias autem hoc audito, Herodem de ignavia reprehendere cepit, quod videlicet ipse divitiis major et potentiis, a Romano principe hanc dignitatem sibi non acquisisset; qua exprobatone irritatus Herodes, cum ipsa Herodiade pecunia multa assumpta, Romam profectus est. Cumque apud Caium quereretur quod sibi hic honor collatus potius non fuisset, indignatus Caius inconcessa petenti, etiam concessa tollenda decrevit. Sicque Herodes pariter cum Herodiade ad Hispanias in exilium missus est, hic finis Herodis. Verum Agrippa, qui Herodes cognominatus est, ipse est qui Jacobum fratrem Joannis gladio peremit, Petrumque in carcerem missum quatuor quaternionibus militum custodiendum tradidit. Hic cum quadam die cum Tyriis ac Sidoniis causam acturus processisset, et pro splendore deauratarum vestium solisque radio lucentium Deus et non homo conclamaretur, in superbiam elatus subito ab angelo percussus est. Et post aliquot dies perseverante ægritudine vitam finivit. Huic successit filius Agrippa, qui in Actibus apostolorum (*Act.* xxv) cum Bernice (18-19) matre sua ad Festum præsidem visendum et salutandum descendisse legitur, atque cum Paulo eidem præsidi præsentato quædam jucunde confabulatus memoratur (*Act.* xxvi). Hujus tempore regnum Judæorum a Tito et Vespasiano subversum est. Primus itaque Herodes fuit ille, sub quo Christus natus est, qui et parvulos trucidavit. Secundus filius ejus sub quo Christus passus est, qui Joannem Baptistam decollavit. Tertius Agrippa Herodes, cujus avus fuit primus Herodes. Secundus patruus qui Jacobum interfecit.

